Veronenſibus extrinſecis, & illis de Lendenaria iverunt contra Civitatem Veronæ ferè per quinque Milliaria, credentes ipſam Civitatem violenter intrare; quod minimè facere potuerunt. Sed caſtra vertentes, obtinuerunt Caſtra Coloniæ, Sabloni, Leniaci, & Gironem Caſtri Ponti; & in eo Girone Caſtri Ponti ſtetit ipſe Loyſius cum tota familia ſua per IX. menſes, & ultra. Et tunc temporis & illi de Leniaco dederunt Terras Leniaci, & Ponti dicto Domino Maſtino de la Scala, & parti intrinſecæ de Verona, & expulerunt dictum Loyſium Comitem à dictis Caſtris. Et eo Anno illi de Lendenaria cum omnibus de Domo eorum, & aliis extrinſecis de eorum parte de Verona obtinuerunt Caſtrum de Lavaneo, & eum tenuerunt per menſem vel circa; deinde id Caſtrum reddiderunt eidem Domino Andreæ Zeno Poteſtati Veronæ nomine dicti Domini Maſtini de la Scala, ſanis & ſalvis euntibus, & exeuntibus à dicto Caſtro cum perſonis, & rebus eorum.

MCCLXII. Dominus Maſtinus de la Scala factus fuit & creatus Capitaneus totius Populi Civitatis Veronæ de communi voluntate, & Conſilio Populi Civitatis ejuſdem.

MCCLXIII. Dominus Ludovicus Comes Sancti Bonifacii cum omni Parte ſua, & omnibus Sequacibus ejuſdem expulſus fuit de Civitate Veronæ XIV. menſis Septembris. Et ex poſtea ipſe, ſeu ipſi Comites Sancti Bonifacii numquam in Civitate Veronæ penitus redierunt. Et ab Anno prædicto uſque ad Annum MCCLXXVII. regnavit & rexit idem Dominus Maſtinus de la Scala in Civitate Veronæ, Dominus Civitatis prædictæ.

MCCLXVI. Dominus Carolus Rex Apuliæ Senator Romanus cum magno exercitu, & comitiva Lombardorum, & Toſcanorum, Civitatum Tuſciæ, & Lombardiæ obtinuit Apuliam.

MCCLXVII. Dominus Conradinus Rex & Dominus Henricus Domini Regis Caſtellæ germanus frater, exiſtens Senator Romanus, unà cum Romanis, & dicto Domino Conradino iverunt & intraverunt Apuliam contra prædictum Dominum Regem Carolum Regem Apuliæ, & fecerunt durum prælium contra eum; & finaliter dictus Dominus Carolus victoriam habuit contra eos; in quo Bello plures diro gladio ſunt extincti, & capti, inter quos capti fuerunt Dominus Conradinus Rex Regis Conradi filius, Dominus Henricus Regis Caſtellæ Frater, Dominus Dux Auſtriæ, Dominus Conradus de Antiteja, Dominus Comes Galvagnus cum uno ejus filio, Dominus Thomaxius de Aquino Camerarius ipſius Domini Conradi, & Mainardus de Caſtanea, & plures alii Tuſci, & Teuthonici infiniti, Ultra mille, decapitati, & morti traditi tunc fuerunt. Qui Dominus Henricus, & Comes Galvagnus cum uno ejus filio eidem Domino Carolo redemtione mortis eorum tradere voluerunt centum millia oncias puri auri, volentes eſſe perpetuo carceri obligati. Quod fuit XXIII. Julii, milleſimi prædicti.

MCCLXIX. Dominus Turixendus de Turixendis de Verona XX. Octobris fuit interfectus in Verona per quemdam filium Bernardini de Sancto Apoſtolo, & quoſdam alios de Verona; & tunc Ponzinella à Carceribus cum certa quantitate Veronenſium aufûgit de Verona, & intravit, ſeu invaſit Caſtra Leniaci, Villæ-Franchæ, Illaxii, Suavii, Babulchæ, & Veſtenæ, & alia multa Caſtra diſtrictus Veronæ; & ligam fecerunt cum vinculo juramenti cum Domino Luixio Comite Sancti Bonifacii, & ejus Parte extrinſeca, faciendi vivam & rectam Guerram Domino Maſtino de la Scala Capitaneo Populi Civitatis Veronæ. Quæ Caſtra tenuerunt, & cum ipſis guerram fecerunt ipſi Domino Maſtino, & Communis Veronæ per duos Annos, & ultra. Quæ Caſtra finaliter tradita fuerunt ipſi Domino Maſtino per Tractatum habitum cum quibuſdam, & ea Caſtra ex poſtea pro Communi Veronæ tenuit uſque ad ultimum vitæ ſuæ. Et eo Anno Comites de Sancto Bonifacio cum Parte ipſorum expulſi fuerunt à Civitate, & diſtrictu Veronæ, qui ex poſtea numquam redierunt; Qui hìc per ordinem notati ſunt: Primò Dominus Ludovicus Comes de Sancto Bonifacio filius ejus cum omnibus ab eo deſcendentibus; Dominus Croſna de Lendenaria cum filiis, fratribus, & eorum deſcendentibus omnibus; Dominus Iſnardus de Capite-Pontis cum fratribus, & cum omnibus ab eo deſcendentibus; Dominus Bartholomæus de Palatio cum filiis, & cum omnibus ab eo deſcendentibus; Dominus Rizardus, Bartholomæus, Nicolaus, Pegorinus eorum nepos, filii quondam Domini Pegorini del Monzambano cum omnibus de domo ſua, & cum omnibus ab eis omnibus deſcendentibus; Dominus Balzanellus de Henrigeto, & Micola cum filiis, & ejus deſcendentibus; Dominus Balzanellus de Treſca-Novella cum filiis, & cum omnibus ab eis deſcendentibus. Dominus Conradus de Cavazanis cum filiis, fratribus, & nepotibus, & cum omnibus ab eis deſcendentibus, exceptis Arimino, & Todeſco, qui vênit pro pactis Monzambani Domini Jacobi de Zerlis; Bonifacius Zerlotus patruus eorum cum filiis eorum, & cum omnibus ab eo deſcendentibus. Dominus Frizolinus, Dominus Blanzardus, Daniel de Arexiis, & omnes de Cataneis, de Grexiis, & cum omnibus ab eo deſcendentibus, Flous, Morbiſus, & Bonaventura de Terceto, Recentus quondam Bonomi, Ricardus quondam Henverardii de Voceto cum fratribus filiis, nepotibus, & conſanguineis, & omnibus ab eis deſcendentibus, Dominus Naxellus de Sancto Petro Nengana majori cum fratre, & filiis, Dominus Bonaventura de Garda cum filiis, & cum omnibus ab eo deſcendentibus. Dominus Beronus Judex de Montorio cum fratribus, cum conſanguineis & nepotibus, & omnibus deſcendentibus. Dominus Bonacurſus Judex de Montorio cum fratribus, cum conſanguineis, & eorum deſcendentibus; Thebaldus ejus nepos de Pitania cum conſanguineis, & omnibus ejus deſcendentibus; Dominus Marcetus de Natu cum filiis, & fratribus, & ejus deſcendentibus. Bonaventura Domini Macii de Sardenellis, Antonius Venturæ Sardenæ cum filiis, fratribus, & ejus omnibus deſcendentibus. Dominus Aldrigetus cum filiis, & ejus omnibus deſcendentibus. Dominus Oſtus, Dominus Odoricus quondam Domini Achylicis filius, Alexander de Vicecomitibus, & cum omnibus filiis fratribus, & eorum omnibus deſcendentibus. Heredes quondam Domini Perini de Moſto, & cum omnibus ab eis deſcendentibus.

MCCLXXVII. Decimoſeptimo Octobris

Exi-

Dominus Philippus de Seccha Melica cum filiis et omnibus ab eo descendentibus. Dominus Marcetus de Nani cum filiis et fratribus et nepotibus et cum omnibus illorum de Sardenellis et omnibus ab eo descendentibus.